

1283, juny, 19

Ramon d'Avinyó, ardiaca de la Selva, Bernat Guillem de Clarà, canonge de la seu, i Pere de Banyoles, prevere de capítol de' la mateixa seu, comissionats del bisbe de Girona, dispensen Cectia de Foixà de naixement il·legítim, reben el seu consentiment a l'elecció que hom ha fet d'ella per a abadessa de Sant Daniel i confirmen la mateixa elecció.

ASD núm. 262, perg. orig., 685 x 255 mm.

Monasterio Sancti Danielis ordinis beati Benedicti, quod est situm iuxta ciuitatem Gerunde abbatisse solacio destituto propter mortem bone memorie domine Berengarie quondam ipsius monasterii abbatisse que migravit ab hac luce, priorissa et uniuersus conuentus eiusdem monasterii uolentes occurrere periculis animarum et indempnitatibus prouidere, super eleccione future abbatisse in ipso monasterio facienda compromiserunt in religiosas dominas Guilielmam de Belestar, subpriorissam, Raimundam de Ceruiano, Agnetem de Scala et Geraldam de Podiopardinarum, moniales monasterii antedicti ac etiam in uenerabilem uinim fratrem Petrum, Dei gratia monasterii Sancti Petri de Gallicantu abbatem ordinis memorati, ut in scriptura compromissi facta inde laciis et plenius continetur. Et predictae domine electrices seu postulatrices una cum prefato abbate coelectore seu compostulatore ipsarum, uice sua et omnium de conuentu predicto concorditer et unanimiter consencientes et dirigentes uotà sua in uenerabilem dominam Ceciliam de Fuxano, priorissam monasterii supradicti, dominam nobilem, prouidam et discretam, cui grauitas morum, sciencia que competit litterarum et alia quamplurima merita sufragantur, uoluerunt eleccionem et postulacionem ac prouisionem huiusmodi fieri per abbatem iamdictum, cum super hoc esset eis a conuentu concessa potestas uice sua et ipsarum electricium et aliarum omnium de conuentu. Quare abbas, unus de coelectòribus antedicti, uice iam dictarum dominariu electricium seu postulatricium et uice sua ac omnium de conuentu monasterii memorati elegit postulando et postulauit eligendo prenominatam dominam Ceciliam de Fuxano, priorissam monasterii supradicti in abbatissam eiusdem monasterii et ecclesie Sancti Danielis et de persona ipsus prouidit postulando ecclesie memorate sicut in scriptura decreti que extitit inde facta laciis et plenius est expressum. Et post hoc eedem domine electrices una cum prenoininato abbate coelectore ipsarum a reuerendo patre ac domino Bernardo diuina prouidencia Gerundensi episcopo supliciter pecierunt ut cum prefata domina Cecilia postulata super deffectu natalium quem paciebatur sine propria culpa misericorditer dispensare et iamdictam postulacionem eligendo factam admitere dignaretur et ipsam etiam confirmare. Cumque iamdictus dominus episcopus esset uariis et diuersis negociis prepeditus nec posset comode intendere in premissis, comisit uenerabilibus et discretis uiris Raimundo de Auinione, archidiacono de Silua, Bernardo Guilielmi canonico et Petro de Balneolis, presbitero de capitulo ecclesie Gerundensis super premissis omnibus uices suas cum suis specialibus litteris, sigilli proprii munimine consignatis, quarum tenor noscitur sic haberi.

Bernardus, diuina miseracione Gerundensis episcopus, uenerabilibus et dilectis in Christo Raimundo de Auinione, archidiacono de Silua, Bemardo Guilielmi de Clarano, Gerundensi canonico et Petro de Balneolis presbitero de capitulo Gerundensi, salutem in filio Dei patris. Cum uaccante monasterio Sancti Danielis ordinis Sancti Benedicti iuxta ciuitatem Gerunde idem monasterium esset destitutum solacio seu regimine abbatisse, ipsius etiam abbatisse corpore tradito ecclesiastice sepulture, conuentus eiusdem monasterii in dominam Ceciliam de Fuxano priorissam ipsius monasterii direxit concorditer uota sua, eandem eligentes postulando et postulantes eligendo,. ac etiam eidem monasterio prouidendo, ut in compromisso et decreto inde confectis uidebitis plenius contineri. Tandem ex parte predicti conuentus nobis fuit instanter ac humiliter supplicatum ut nos ex officio ordinarie potestatis de benignitate solita cum predicta postulata dignaremur misericorditer dispensare super defectu natalium quem patitur sine culpa sui, si dispensacione indigeat et postulacionem eius admittere ut ualeat perfici ad ipsius regimen abbacie et ipsam postulacionem canonice confirmare, presertim cum ad presens in dicto monasterio aliqua alia ut dicitur non reperiatur que sit magis utilis et idonea uel etiam in tantum ad gubernacionem monasterii supradicti. Uerum cum nos pluribus et uariis negociis occupati super hiis intendere nequeamus, uobis de cuius discrecione et diligencia plene confidimus, tenore presencium super premissis comitimus plenarie uices nostras, ut uos examinato diligenter processu, habito in premissis et inquisita diligenter ueritate de meritis postulancium ac etiam postulate et de aliis circumstanciis uniuersis que facturo huiusmodi tangere dinoscuntur, prout uestra nouerit discrecio expedire eleccionem, postulacionem seu prouisionem predictam auctoritate nostra admitatis et cum predicta postulata misericorditer dispensetis, si tamen cum ea necessarium fuerit dispensari in quantum nostre congruit potestati et eandem canonice confirmetis, prout de iure uobis uidebitur faciendum, maxime si necessitas uel utilitas dicti monasterii id exposcat. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis aut nolueritis interesse, saltem duo uestrum ea nichilominus exequantur. Datum Gerunde .xv. kalendas iunii anno Domini .MCCLXXX. tercio.

Auctoritate quarum iamdicti archidiaconus, canonicus et presbiter accesserunt personaliter ad monasterium supradictum et examinauerunt diligenter postulacionis processum et ea que ad ipsum facere dinoscuntur, et inquisiuerunt cum sollicitudine diligenti de meritis eligencium seu postulancium ac etiam postulate, et insuper de causis que ad dispensacionem facienda circa deffectum natalium quem inuenerunt pati dominam Ceciliam antedictam sine propria culpa tamen, et de utilitate dicti monasterii in postulacione huiusmodi procurata ac aliis que superiorem mouere possunt cum summa diligencia perscrutarunt. Inquisiuerunt etiam sollicite et atente de circumstanciis uniuersis postulacionem contingentibus antedictam cum prenomatis postulantibus et eciam postulate et cum maiori parte conuentus ac clericorum secularium monasterii sepedicti cum quibus et processu inuenerunt omnia rite, canonice et sollempniter esse gesta, et in postulacione iamdicte domine Cefüe priorisse ad ipsum monasterium postulate utilitatem eiusdem monasterii tam in spiritualibus quam temporalibus fuisse procuratam lucide et aperte. Hinc est quod nos Raimundus de Auinione, archidiaconus de Silua, Bemardus Guilielmi canonici et Petrus de Balneolis

presbiter de capitulo ecclesie Gerundensis superius nominatis, uisis et auditis ac etiam intellectis omnibus superius comprehensis ac aliis et causa siue causis que ad dispensacionem circa defectum natalium quem patitur iamdicta domina postulata ac aliis que ad finem facere dinoscuntur cum suma diligencia et studio indagatis, habentes pre oculis solum Deum, auctoritate nobis in hac parte concessa a domino episcopo memorato, cum sepedicta domina Cecilia postulata presente super defectu quod in natalibus sine culpa propria patitur utilitate iamdicti monasterii et ordine etiam suadente misericorditer dispensamus ut defectu huiusmodi non obstante, postulacioni de se facte libere ac licite ualeat consentire. Et consensu expresso uerbotenus incontinenti prestito et habito ad eadem que existit personaliter coram nobis, postulacionem eligendo eleccionem postulando ac prouisionem que de persona sua facta fuit memorate Sancti Danielis ecclesie admittentes tanquam canonicamente celebratarn: eandem auctoritate, predicta nobis tradita confirmamus.

Que sunt acta .xm. kalendas iulii armo Domini millesimo .ccc.xxx. tertio, presente iamdicta domina Cecilia, confirmata que postulacioni de se facte post dispensacionem predictam et ante admissionem postulacionis et confirmacionis eidem postulacioni expressa uerbotenus consentiuit et presentibus testibus uidelicet Amallo de Locustaria, canonico Sancti Felicis Gerunde, Berengario Mireti capellano Sancti Danielis, Amallo de Crosis clerico Sancti Petri de Gallicantu et Guilielmo de Macianeto, pellipario de Sancto Daniele ac pluribus aliis.

Ego Raimundus de Auinione, archidiaconus de Silua, subscribo*. Ego Bemardus Guilielmi de Clayrano, canonicus Gerundensis, subscribo*. Ego Petrus de Balneolis predictus, subscribo (s. man.).

Ego Raimundus Ollarii (s. man.) de Palaciolo, notarius curie domini episcopi Gerundensis, hoc scripsi.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 549-552